

^{10. 13.}
^{Tob. 4. 15.} 14 * Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est:

15 Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

^{4. Reg. 24. 6.}
^{2. Par. 25. 4.}
^{Ezech. 31. 20.} 16 * Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.

17 Non pervertes iudicium advenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.

18 Memento quod servieris in Ægypto, & eruert te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

19 Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: sed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

20 Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas: sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ.

21 Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ.

22 Memento quod & tu servieris in Ægypto, & idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

CAPUT XXV.

Judices juxta iudicent: quot plagis reus cadendus, bovi trituranti os non alligandum, semen fratri suscitandum, pœnæ mulieris verenda apprehendentis, non committenda in pondere & mensura injustitia, Amalecitarum delendi.

1 SI fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint iudices: quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis.

2 Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus:

3 Ita

3 Ita dumtaxat, * ut quadragenarium numerum non excedant: ne scæde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. ^{2. Cor. 11. 24.}

4 * Non ligabis os bovis terentis in arce fruges tuas. ^{1. Cor. 9. 9.}
^{1. Tim. 18.}

5 * Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: ^{22. 24.}

6 Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël. ^{Marc. 12. 10.}
^{Luc. 20. 28. 29.}

7 Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu, dicetque: * Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israël: nec me in conjugem fumere. ^{4. 5.}

8 Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere:

9 Accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calcamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non edificat domum fratris sui.

10 Et vocabitur nomen illius in Israël, domus discalceati.

11 Si habuerint inter se jurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, & apprehenderit verenda ejus:

12 Abscindes manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia.

13 Non habebis in sacco diversa pondera, majus & minus:

14 Nec erit in domo tua modius major & minor.

15 Pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: ut multo vivas tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi:

16 Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & averfatur omnem injustitiam.

17 * Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto: ^{Exod. 17. 8.}

18

18 Quomodo occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassī residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum.

19 Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subjecerit cunctas per circuitum nationes in Terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen ejus sub cœlo. Cave ne obliviscaris.

CAPUT XXVI.

Primitiæ ac decimæ ubi & quibus exolvendæ, & sub qua verborum forma.

1 **C**umque intraveris Terram quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaveris in ea:

2 Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus:

3 Accedeque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in Terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.

4 Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui:

5 Et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequeretur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero: crevitque in gentem magnam ac robustam & infinite multitudinis.

6 Afflixeruntque nos Ægyptii, & persecuti sunt imponentes onera gravissima:

7 Et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum: qui exaudivit nos, & respexit humilitatem nostram, & laborem, atque angustiam:

8 Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in figuis atque portentis:

9 Et introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem.

10 Et ideo nunc offero primitias frugum Terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas

eas in conspectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo.

11 Et epulaberis in omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu & Levites, & advena qui tecum est.

12 Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio dabis Levitæ, & advenæ, & pupillo & viduæ, ut comedant intra portas tuas, & saturentur:

13 Loquerisque in conspectu Domini Dei tui: Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, & * dedi illud Levitæ & advenæ, & pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi: non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. ^{14. 29.}

14 Non comedi ex eis in lectu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, & feci omnia sicut præcepisti mihi.

15 * Respice de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Israël, & Terræ, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, Terræ lacte & melle mananti. ^{Isaia 63. 15. Bar. 2. 16.}

16 Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia: & custodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.

17 Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus: & custodias caeremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio.

18 Et * Dominus elegit te hodie ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius: ^{Supra 7. 6.}

19 Et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

CAPUT XXVII.

Transito Jordane, altare lapideum erigendum, lexque lapidibus inscribenda: benedictionis piorum, & maledictionis impiorum ritus & formula.

1 **P**ræcepit autem Moyses & seniores Israël, po-

populo dicentes: Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie.

2 Cumque transferitis Jordanem in Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce lævigabis eos,

3 Ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmissio: ut intro eas terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte & melle manantem, sicut juravit patribus tuis.

4 Quando ergo transferitis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & lævigabis eos calce:

5 Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus, quos ferrum non tetigit,

* Exod. 20. 25. 30. 31.

6 Et de saxis informibus & impolitis: & offeres super eo holocausta Domino Deo tuo,

7 Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.

8 Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane & lucide.

9 Dixeruntque Moyses & sacerdotes Levitici generis ad omnem Israel: Attende, & audi Israel: hodie factus es populus Domini Dei tui:

10 Audies vocem ejus, & facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi.

11 Præcepitque Moyses populo in die illo dicens:

12 Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmissio: Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph & Benjamin.

13 Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aser, & Zabulon, Dan & Nephthali.

* Dan. 9. 13.

14 * Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce:

15 Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito. Et respondet omnis populus, & dicit: Amen.

16 Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem. Et dicit omnis populus: Amen.

17 Maledictus qui transfert terminos proximi sui. Et dicit omnis populus: Amen.

18 Ma-

18 Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. Et dicit omnis populus: Amen.

19 Maledictus qui pervertit iudicium advenæ, pupilli, & viduæ. Et dicit omnis populus: Amen.

20 Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli ejus. Et dicit omnis populus: Amen.

21 Maledictus qui dormit cum omni jumento. Et dicit omnis populus: Amen.

22 Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ. Et dicit omnis populus: Amen.

23 Maledictus qui dormit cum focu sua. Et dicit omnis populus: Amen.

24 Maledictus qui clam percusserit proximum suum. Et dicit omnis populus: Amen.

25 Maledictus qui dormit cum uxore proximi sui. Et dicit omnis populus: Amen.

26 Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicit omnis populus: Amen.

27 Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. Et dicit omnis populus: Amen.

CAPUT XXVIII.

Multiplex promittitur observantibus legem benedictio, & transgredientibus maledictio.

1 **S**I autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelliorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra.

2 Venientque super te universæ benedictiones istæ, & apprehendent te: si tamen præcepta ejus audieris.

3 Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro.

4 Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum: greges armentorum tuorum, & caula ovium tuarum.

5 Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquæ tuæ.

6 Benedictus eris tu ingrediens & egrediens.

7 Dabit Dominus inimicos tuos, qui confur-

Tom. I.

Cc

guat

gunt aduersum te, conruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te, & per septem fugient a facie tua.

8 Emittet Dominus benedictionem super celaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra quam acceperis.

9 Sulcabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iuravit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis ejus.

10 Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te, & timebunt te.

11 Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, & fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iuravit Dominus patribus tuis ut daret tibi.

12 Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fecerabis gentibus multis, & ipse a nullo fœnus accipies.

13 Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris.

14 Ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.

15 * Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata ejus & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te.

16 Maledictus eris in civitate, maledictus in agro,

17 Maledictum horreum tuum, & maledicta reliquia tuæ.

18 Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & grege ovium tuarum.

19 Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens,

20 Mittei Dominus super te famem & ieluriam,

&

& increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me.

21 Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris posfidendam.

22 Percutiat te Dominus egestate, feбри & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine, & persequatur donec pereas.

23 Sit cælum, quod supra te est, æneum: & terra, quam calcas, ferrea.

24 Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris.

25 Tradat te dominus conruentem ante hostes tuos. Per unam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ.

26 Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat.

27 Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque & prurigine: ita ut curari nequeas.

28 Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis,

29 Et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omni- que tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.

30 Uxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantas vineam, & non vindemias eam.

31 Bos tuus imoletur coram te, & non comedas ex eo. Afinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, & non sit qui te adjuvet.

32 Filii tui & filia tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua.

33 Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos

Cc 2

o-

* Lev.
26. 14.
Thren. 2.
17.
Baruch. 1.
20.
Malac. 2.
2.

comedat populus quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus.

34 Et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui.

35 Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus & in furis, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum.

36 Ducet te Dominus, & regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu & patres tui: & servies ibi diis alienis ligno, & lapidi.

37 Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.

* Mich.
6. 15.
Agg. i. 1.
5.

38 * Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia.

39 Vineam plantabis, & fodies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus.

40 Olivas habebis in omnibus terminis tuis, & non ungeris oleo: quia defluent, & peribunt.

41 Filios generabis & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captivitatem.

42 Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet.

43 Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior.

44 Ipse scenerabit tibi, & tu non scenerabis ei: ipse erit in caput, & tu eris in caudam.

45 Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus & caeremonias, quas præcepit tibi.

46 Et erunt in te signa atque prodigia, & in femine tuo usque in sempiternum:

47 Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam:

48 Servies inimico tuo, quem immittere tibi Dominus, infame & fiti, & nuaitate, & omni penuria: & ponet jugum ferream super cervicem tuam, donec te conterat.

49 Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cujus linguam intelligere non possis:

50 Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli.

51 Et devoret fructum jumentorum tuorum ac fruges terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta bouum, & greges ovium: donec te disperdat.

52 Et conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obfideberis intra portas tuas in omni Terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus:

53 * Et comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dedit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus.

* Thren.
4. 10.
Baruch.
2. 2. 3.

54 Homo delicatus in te, & luxuriosus valde, invidebit fratri suo, & uxori, quæ cubat in sinu suo,

55 Ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat in obsidione & penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas.

56 Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter molliem & teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii & filia carnibus.

57 Et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, & super liberis qui eadem hora nati sunt: comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

58 Nisi custodieris & feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timeris nomen ejus gloriosum & terribile, hoc est Dominum Deum tuum:

59 Angebit Dominus plagas tuas, & plagas feminis tui, plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas,

60 Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi:

61 Insuper & universos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te: donec te conterat:

62 Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti Domini Dei tui.

63 Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de Terra, ad quam ingredieris possidendam.

64 Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus: & servies ibi diis alienis, quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus.

65 In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrere:

66 Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.

67 Mane dices: Quis mihi det vesperum? & vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.

68 Reducet te Dominus classibus in Ægyptum per viam, de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos & ancillas, & non erit qui emat.

CAPUT XXIX.

Fœdus & juramentum Israelitarum cum Domino juxta Dei beneficia, & comminatio adversus Fœdisfragos.

1 **H**Æc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in Terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb.

2 Vocavitque Moyses omnem Israel, & dixit ad eos: * Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in Terra Ægypti Pharaoni,

&

* Exod.
19. 4.

& omnibus servis ejus, universæque terræ illius.

3 Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia,

4 Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem.

5 * Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calcamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.

* *Supra*
8. 2.

6 Panem non comedistis, vinum & ficeram non bibistis: ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester.

7 Et venistis ad hunc locum: * egressusque est Sehon Rex Hesebon, & Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos,

* *Supra*
3. 1.

8 Et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse.

9 Custodite ergo verba pacti hujus, & implete ea: ut intelligatis universa quæ facitis.

10 Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, & tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israel,

11 Liberi & uxores vestræ, & advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæforibus, & his qui comportant aquas:

12 Ut transeas in fœdere Domini Dei tui, & in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percussit tecum:

13 Ut suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus sicut locutus est tibi, & sicut juravit patribus tuis Abraham, Isaac, & Jacob.

14 Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc juramenta confirmo,

15 Sed cunctis præsentibus & absentibus:

16 Vos enim nostis quo modo habitaverimus in terra Ægypti, & quo modo transferimus per medium nationum, quas transeuntes,

17 Vidistis abominationes & sordes, id est, idola eorum, lignum & lapidem, argentum & aurum, quæ colebant.

18 Ne forte inter vos vir aut mulier, familia

Cc 4

aut

aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro: ut vadat & serviat diis illarum Gentium: & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.

19 Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei: & absumat ebria sitientem,

20 Et Dominus non ignoscat ei: sed tuncquam maxime furor ejus fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta quæ scripta sunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen ejus sub cælo,

21 Et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, juxta maledictiones, quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur.

22 Dicitque sequens generatio, & filii qui nascentur deinceps, & peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas Terræ illius, & infirmitates, quibus eam affixerit Dominus,

23 Sulphure & salis ardore comburens, ita ut ultra non feratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum * subversionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas subvertit Dominus in ira & furorè suo.

24 Et dicent omnes Gentes: * Quare sic fecit Dominus Terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa?

25 Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de Terra Ægypti:

26 Et servierunt diis alienis, & adoraverunt eos quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi:

27 Idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt:

28 Et ejecit eos de terra sua in ira & in furore, & in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur.

29 Abscondita, Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus univèrsa verba legis hujus.

CA-

CAPUT XXX.

Lapsos hortatur Moyses ad pœnitentiam: vera enim pœnitentia Deum placat: præceptum nobis datum, non longe a nobis separatur: in ejus impletione vel neglectu proponitur bonum & malum; ut ultro bonum eligentes, vivamus, & non pereamus. malo adhærentes.

1 CUM ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: & ductus pœnitentiae cordis tui in univèrsis gentibus, in quas disperferit te Dominus Deus tuus,

2 Et reversus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua.

3 Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante disperlit.

4 Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus,

5 Et * assumet, atque introducet in Terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, majoris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui.

6 Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere.

7 Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, & eos, qui oderunt te & persequantur.

8 Tu autem reverteris, & audies vocem Domini Dei tui: faciesque univèrsa mandata quæ ego præcipio tibi hodie:

9 Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, & in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavifus est in patribus tuis:

10 Si tamen audieris vocem Domini Dei tui,

C c 5

&

* Gen. 19.
24.

* 3 Reg.
9. 8.
Jer. 22. 9.

* 2. Ma.
chab. 1. 29.

& custodieris præcepta ejus & cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.

11 Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,

* Rom.
10. 6.

12 Nec in cælo situm, ut possis dicere: * Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus?

13 Neque trans mare positum: ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire & facere quod præceptum est?

14 Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.

15 Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum:

16 Ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius ac cæremonias atque judicia: & vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in Terra, ad quam ingredieris possidendam.

17 Si autem aversum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, & servieris eis:

18 Prædico tibi hodie quod pereas, & parvo tempore moreris in Terra, ad quam, Jordane transmissio, ingredieris possidendam.

19 Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum:

20 Et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhaereas (ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum) ut habitas in Terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret eam illis.

CAPUT XXXI.

Moses Josue sibi sufficit in ducem, Deuteronomium scribit, jubetque illud populo prælegi 7 anno remissionis, & in latere arcæ adservari.

1 Abiit

1 Abiit itaque Moyses, & locutus est omnia verba hæc ad universum Israel.

2 Et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi, & ingredi, præsertim cum & Dominus dixerit mihi: * Non transibis Jordanem istum: ^{* Num. 27. 13. Supra 3.}

3 Dominus ergo Deus tuus, transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, & possidebis eas: & Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. ^{27.}

4 Facietque Dominus eis * sicut fecit Sehon & Og regibus Amorrhæorum, & terræ eorum, delebitque eos. ^{* Num. 21. 24.}

5 Cum ergo & hos tradiderit vobis, * similiter facietis eis sicut præcepi vobis. ^{* Supra 7. 2.}

6 Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te.

7 Vocavitque Moyses Josue, & dixit ei coram omni Israel: * Confortare, & esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, & tu eam forte divides. ^{* Jos. 1. 6. 3. Reg. 2. 2.}

8 Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: non timere, nec paveas.

9 Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis Senioribus Israel.

10 Præcepitque eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum,

11 Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis,

12 Et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus:

13 Fi-

13 Filii quoque eorum qui nunc ignorant; ut audire possint, & timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra, ad quam vos, Jordane transmissis, pergitis obtinendam.

14 Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ, voca Josue, & stete in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses & Josue, & steterunt in tabernaculo testimonii:

15 Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi.

16 Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste confurgens fornicabitur post deos alienos in Terra, ad quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo.

17 Et irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem: invenient eum omnia mala & afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus mecum, inveniunt me hæc mala.

18 Ego autem abscondam, & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos.

19 Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel: ut memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel.

20 Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte & melle manantem. Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, & servient eis: detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum,

21 Postquam invenerint eum mala multa & afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore feminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum.

22 Scripsit ergo Moyses canticum, & docuit filios Israel.

23 Præcepitque Dominus Josue filio Nun, & ait: Confortare, & esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, & ego ero tecum.

24 Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complexit:

25 Præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens:

26 Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium.

27 Ego enim scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero?

28 Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & invocabo contra eos cœlum & terram.

29 Novi enim quod post mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.

30 Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, & ad finem usque complexit.

CAPUT XXXII.

Canticum Moysi quo Dei refert beneficia, populi que ingratitude sepius a Domino castigatam: jubetur Moyses montem Abarim ascendere: ut promissam terram contempletur.

1 **A**udite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.

2 Concresecat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.

3 Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro.

4 Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus

judicia : Deus fidelis , & absque ulla iniquitate , justus & rectus.

5 Peccaverunt ei , & non filii ejus in fordibus : generatio prava atque perversa.

6 Hæcine reddis Domino , popule stulte , & insipiens ? nunquid non ipse est pater tuus , qui possedit te , & iecit , & creavit te ?

* Job. 8.
8.

7 * Memento dierum antiquorum , cogita generationes singulas : interroga patrem tuum , & annuntiabit tibi ; majores tuos , & dicent tibi.

8 Quando dividebat Altissimus gentes : quando separabat filios Adam , constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.

9 Pars autem Domini , populus ejus ; Jacob funiculus hereditatis ejus.

10 Invenit eum in terra deserta , in loco horroris , & vastæ solitudinis : circumduxit eum , & docuit : & custodivit quasi pupillam oculi sui.

11 Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos , & super eos volitans , expandit alas suas , & assumpsit eum , atque portavit in humeris suis.

12 Dominus solus dux ejus fuit : & non erat cum eo Deus alienus.

13 Constituit eum super excelsam terram : ut comederet fructus agrorum , ut sugeret mel de petra , oleumque de saxo durissimo.

14 Butyrum de armento , & lac de ovibus cum adipe agnorum , & arietum filiorum Basan : & hircos cum medulla tritici , & sanguinem uvæ biberet meracissimum.

15 Incrassatus est dilectus , & recalcitravit : in crassatus , impinguatus , dilatatus , dereliquit Deum factorem suum , & recessit a Deo salutari suo.

16 Provocaverunt eum in diis alienis , & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

17 Immolaverunt demoniis & non Deo ; diis , quos ignorabant : novi recentisque venerunt , quos non coluerunt patres eorum.

18 Deum , qui te genuit , dereliquisti , & oblitus es Domini creatoris tui.

19 Vidit Dominus , & ad iracundiam concitatus est : quia provocaverunt eum filii sui & filiæ.

20 Et

20 Et ait : Abscondam faciem meam ab eis , & considerabo novissima eorum : generatio enim perversa est , & infideles filii.

21 Ipsi me provocaverunt in eo , qui non erat Deus , & irritaverunt in vanitatibus suis : & * Jer. 15.
14.
Rom. 10.
19.

22 Ignis succensus est in furore meo , & ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram cum germine suo , & montium fundamenta comburet.

23 Congregabo super eos mala , & sagittas meas complebo in eis.

24 Contumentur fame , & devorabunt eos aves morlu amarissimo : dentes bestiarum immittam in eos , cum furore trahentium super terram , atque serpentium.

25 Foris vastabit eos gladius , & intus pavor , juvenem simul ac virginem , lactentem cum homine fene.

26 Dixi : Ubinam sunt ? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

27 Sed propter iram inimicorum distuli : ne forte superbirent hostes eorum , & dicerent : Manus nostra excelsa , & non Dominus , fecit hæc omnia.

28 Gens absque consilio est , & sine prudentia.

29 * Utinam saperent , & intelligerent , ac novissima providerent. * Jer. 9.
12.

30 Quomodo persequatur unus mille , & duo fugent decem millia ? nonne ideo , quia Deus suus vendidit eos , & Dominus conclusit illos ?

31 Non enim est Deus noster ut dii eorum : & inimici nostri sunt iudices.

32 De vinea Sodomorum , vinea eorum , & de suburbanis Gomorrhæ : uva eorum uva fellis , & botri amarissimi.

33 Fel draconum vinum eorum , & venenum aspidum insanabile.

34 Nonne hæc condita sunt apud me , & signata in thesauris meis ?

35 * Mea est ultio , & ego retribuam in tempore , ut labatur pes eorum : juxta est dies perditionis , & adesse festinant tempora. * Eccl. 28. 1.
Rom. 12. 19.
Heb. 10. 29.

36

* 2. Machab. 7. 6. 36 Judicabit Dominus populum suum, & * in servis suis miserebitur: videbit quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

* Jer. 2. 28. 37 Et dicit: * Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

38 De quorum victimis comedebant adipem, & bibebant vinum libaminum: surgant, & opitentur vobis, & in necessitate vos protegant.

39 Videte quod ego sum solus, & non sit alius Deus præter me: * ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo, & * non est qui de manu mea possit eruere.

* 1. Reg. 2. 6. Tob. 13. 2. Sap. 16. 13. * Job. 10. 7. Sap. 16. 15. 40 Levabo ad caelum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum.

41 Si acvero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.

42 Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes, de crure occisorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.

* 2. Machab. 7. 6. 43 * Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem fervorum suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

44 Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse & Josue filius Nun.

45 Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel.

46 Et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: ut mandetis ea filiis vestris custodire & facere, & implere universa quæ scripta sunt legis hujus:

47 Quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis tempore in terra, ad quam Jordane transmissio, ingredimini possidendam.

48 Locutusque est Dominus ad Moysem in eadem die, dicens:

49 Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in Terra Moab contra Jericho: & vide Terram Chanaan, quam

quam ego tradam filiis Israel obtinendam, & morere in monte.

50 Quem conscendens jungeris populis tuis, * sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis:

51 * Quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad Aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israel.

52 Econtra videbis terram, & non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

CAPUT XXXIII.

Benedicit Moyses moriturus duodecim tribubus Israel, eisque olim obventura prædicit.

1 Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam.

2 Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera ejus signæ lex.

3 Dilexit populos, * omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.

4 Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob.

5 Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

6 Vivat Ruben, & non moriatur, & sit parvus in numero.

7 Hæc est Judæ benedictio: Audi Domine vocem Judæ, & ad populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adversarios ejus erit.

8 Levi quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & judicasti ad Aquas contradictionis.

9 Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt.

10 Judicia tua, o Jacob, & legem tuam, o Israel: ponent thymiana in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.

Tom. I.

Dd

11 Be-

11 Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius fufcipe. Percute dorfa inimicorum ejus: & qui oderunt eum, non confurgant.

12 Et Benjamin ait: Amantiffimus Domini habitabit confidenter in eo: quafi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiefcet.

13 Jofeph quoque ait: De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, & rore, atque abyffo fubjacente.

14 De pomis fructuum folis ac lunæ,

15 De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum:

16 Et de frugibus terræ, & de plenitudine ejus. Benedicção illius, * qui apparuit in rubo, veniat fuper caput Jofeph, & fuper verticem Nazaræi inter fratres fuos.

* Exod.
3. 2.

17 Quali primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipfis ventiletur Gentes ufque ad terminos terræ. Hæc funt multitudines Ephraim: & hæc millia Manaffe.

18 Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Ifachar in tabernaculis tuis.

19 Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas juftitiæ. Qui inundationem maris quafi lac fugent, & thefauros abfconditos arenarum.

20 Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quafi leo requievit, cepitque brachium & verticem.

21 Et vidit principatum fuum, quod in parte fua doctus effet repositus: qui fuit cum principibus populi, & fecit juftitias Domini, & judicium fuum cum Ifrael.

22 Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fuet largiter de Bafan.

23 Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem poffidebit.

24 Afer quoque ait: Benedictus in filiis Afer, fit placens fratribus fuis, & tingat in oleo pedem fuum.

25 Ferrum & æscalceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita & fenectus tua.

26 Non

26 Non eft Deus alius ut Deus rectiffimi: afcenfor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus difcurrunt nubes,

27 Habitaculum ejus furfum, & fubter brachia fempiterna: ejiciet a facie tua inimicum dicetque: Conterere.

28 Habitabit Ifrael confidenter, & folus Oculus Jacob in terra frumenti & vini, cœlique caligabunt rore.

29 Beatus es tu Ifrael: quis fimilis tui popule, qui falvaris in Domino? fecutus auxiliæ tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

CAPUT XXXIV.

Contemplata Terra moritur Moyses, & occulte a Deo fepultus fletur a populo, illique Jofue fubftituitur; commendatur propheta Moyses a Dei familiaritate, & factis per ipfum fignis.

1 **A** Scendit * ergo Moyses de campeftribus * *Supra 27.*

Phafga contra Jericho: oftenditque ei Dominus *2. Machab. 3. 4.*

omnem Terram Galaad ufque Dan, 2 Et univerfum Nephthali, terramque Ephraim & Manaffe, & omnem terram Juda ufque ad mare noviffimum,

3 Et australem partem, & latitudinem campi Jericho civitatis palmarum ufque Segor.

4 Dixitque Dominus ad eum: * Hæc eft terra, * *Gen. 12. 7. & 15. 13.* pro qua juravi Abraham, Ifaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidifti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.

5 Mortuusque eft ibi Moyses fervus Domini, in terra Moab, jubente Domino:

6 Et fepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo fepulchrum ejus ufque in præfentem diem.

7 Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus eft: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti funt.

8 Fleveruntque eum filii Ifrael in campeftribus Moab triginta diebus: & completi funt dies plandus lugentium Moysen.

Dd 2

9 Jo-

420 LIBER DEUTERONOMII, CAP. XXXIV.

9 Josue vero filius Nun repletus est Spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut praecepit Dominus Moyfi.

10 Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem noffet Dominus facie ad faciem,

11 In omnibus signis atque portentis, quae misit per eum, ut faceret in Terra Aegypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universaeque terrae illius,

12 Et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quae fecit Moyses coram universo Israel.

Finis Tomi primi.



